

Philos.

95

CONCL VSIONES
EX TOTA

PHILOSOPHIA PERIPATETICA

QVAS

IN CATHOLICA ET
ELECTORALI VNIVERSI-
TATE INGOLSTADIENSI

DISPUTATIONI PUBLICAE
PROPOSVERVNT

DVO

SOCIETATIS JESV RELIGIO-
SI, METAPHYSICAE STU-
DIOSI.

ANNO M. DC. XLVI.

Mense Julio.

INGOLSTADII

Typis WILHELMI EDERI.





CONCLUSIONES PHILOSOPHICAE

EX LOGICA.

I.

LOgica est Habitus Scientificus, mērē practicus. Dividitur in Docentem & Utentem. Docens est Logica, quatenus praeclarū prescribit regulas. Utens verò est, quatenus regulas a Docente Logicae traditas usurpat, ac secundūrā illas dirigit operationes mentis. Subiectum Logicae sunt operationes nostrī intellectus. Formalis ratio, quam ea in suo subiecto iupponit, est Dirigibilitas istius. Forma, quam ut Habitū practicū intendit introducere in suum subiectū, est Restitudo operationum intellectus, realiter ab his indistincta. Objectum Attributionis Logicae est Demonstratio.

II. Signum est quod facit nos devenire in cognitionem objecti, vel formaliter per se ipsum, vel media sui cognitione. Dividitur I. in Formale est Instrumentale. Formale est, quod per se ipsum facit nos devenire in cognitionem objecti. Instrumentale signum est, quod mediā sui cognitione dicit nos in cognitionem objecti. Dividitur II. in Naturale, & ad placitum, illud est quodex, natura sua independenterē libera voluntate aliquid significat. Hoc est, quod ex libera voluntate instrumentis tantum, aliquid significat. Signum Naturale constitutur in actū I. per connexionem naturalem cum significato. Signi ad placitum virtus significandi, est denominatio extrinseca ab actu voluntatis imponentium, & recipientium aliud moraliter perdurante. Voces & Scriptura sunt signa Instrumentalia ad placitum, primariō quidem ipsorum rerum, secundario autem conceptuum.

III. Enunciatio seu judicium, est Oratio Affirmativa vel Negativa alicuius de aliquo. Non est composita, sed una simplex qualitas, ut & apprehensio Composita. Objectum Affirmationis vel Negationis est identitas prædicati cum subiecto. Veritas & Falsitas sunt proprietates Judicij. Hæc est Differētia, illa Conformatio, actus cum suo objecto. Constituitaque in denominatione partim intrinseca, partim extrinseca ab objecto, quod repræsentat. Veritas propriè accepta non competit nisi actibus Judicativis. Propositio semel vera nequit transire in falso.

IV. Discursus, est Oratio, in qua uni objecto assentimur propter aliud tanquam propter motuum. Dividitur in Virtualem & Formalem. Virtualis, est unus simplex actus, quod assentimur uni objecto propter aliud. Formalis, est Progressio intellectus ex uno actu ad aliū realiter distinctum, quod assentimur objecto posteriore, propter objectū prioris. Hic Discursus debet constare tribus propositionibus saltem virtualiter distinctis. Per actum Conclusionis attingitur etiam objectum Præmissarum. Dari judiciū de bonitate Consequentiae est probabile. Præmissæ rite penetratae necessitant intellectum ad specie & exercitum Conclusionis. Si præmissarū una fuerit probabilis Conclusionis quoq; probabilis tantum erit. omnis Discursus vel argumentatio est Syllogismus.

V. Demonstratio, est Syllogismus constans Præmissis certis & evidenter. Certitudo, alia est Subjectiva, alia Objectiva. illa, est firma adhäsio intellectus ad objectū sine



CONCLVS. PHYSICO-PHYS. 3

sine formidine oppositi. Hæc, consistit in: necessitate veritatis propositionum, quas denominat. Evidentia ad Demonstrationem requisita differt a Certitudine, per Claritatem, qua ita exprimit objectum intellectui ut omnem illi eximat occasionem dubitandi. Demonstratio non differt a Scientia.

EX PHYSICA.

VI. Physica est scientia a potiori Speculativa; secundum quid tamen etiam Practica. Objectum Physicae in Communi, est Corpus substantiale compleatum generatum acceptum. Principia huius in Facto esse intrinseca sunt duo, Materia sc. & Forma. Res in fieri prout dicunt Generationē a Mutatione præcisam duo habent principia intrinseca; Subiectum, & Terminus productum; & hæc quidem substantialia, si Generatione sit substantialis. Principia Generationis Compositi sunt Subiectum & Unio Formæ cum subiecto.

VII. Res in fieri prout dicunt Mutationem a Generatione præcisam; tria habent intrinseca principia; Materiam, Formam, & Privationem, si res in fieri accipiuntur pro Generatione Transmutativa, tum quatuor habent principia intrinseca, Materiam, Formam, Privationem, & Actionem generativam. Privatio, datur in dependenter ab intellectu. Principia Mutationem & dum est, & dum non est. Dicit in concepu suo effectu, intrinsece, capacitem subiecti.

VIII. Datur materia prima, creata a Deo. Probabile est hanc non dependere a posteriori. Forma, Potentia receptiva Formarum realiter ab hac est indistincta. Habet appetitum ad omnes formas substantialēs etiam Corruptas, indeterminatē tamen & sub disjunctione: & quidem Desiderij; si nudus. Complacentiae vero si iisdem prædicta sit. Ad formas accidentales disponentes ad substantialēm, exigentiam; ad eas quae non disponunt, mera haec non repugnantia. Eruntur effectiva passiones sibi debitae.

IX. Natura, in sensu latiori accepta, est: Principium creatum substantiale motus & quietis immanentis. Strictissime accepta est Principium substantiale, primum & radicale motus & quietis. Tota illi competentis quod constituit: Materia & Forma sunt natura propriè dicta; utri etiam Unio substantialis & Substantialis.

X. Causa, est Principium influens in fluxu ex se formaliter defectibili; & per se. Actus I. Causæ præter virtutem causandi; involvit etiam conditiones & dispositiones ad causandum requisitas. Decretum Dei ad concurrentem, Comprincipia creata, a illisque circumstantias ad ponendum effectum requisitas. Causalitas neutrū possibilis quidem ingreditur a etiū primum causæ.

XI. Virtus Causandi, est entitas pro priori naturæ existens, eademque apta determinatē atque immideatē transcendentaliter respici a productione termini; quam productionem, ut productio est, invicem transcendentaliter respicit. Prius natura est, quod esse vel concipi potest absque eo, quod sit vel concipiatur alterum, cum quo connectitur tanquam aliquid conducens ad existentiam illius. Dicitur formaliter in conceptu suo Causalitatem existentem, quæ tamen non est natura prior effectu.

XII. Materia & Forma, ut constituant Compositum non sunt vera causa; sed partes tantum. Causa Formalis, seu, quod idem est, Forma, compositi substantialis est illa, quæ perficit subiectum suum ratione totius per se; & primariō intenti; vel tanquam unum Complementum; vel tanquam Ratio formalis constitutiya totius, vel tri-

A. 2.

bæn.

C O N C L U S I O N E S

buendo toti plura & nobiliora prædicta. Vnde Causa, seu pars Materialis in compo-
sito est illa, quæ dictis modis ab altera compare perficitur ratione Totius. Id, per
quod Materia & Forma actu constituant compositionem, est Unio, entitas ab extremis
suis, actione eductiva formæ, approximatione partium & dispositionibus realiter di-
stincta eadémque modalis, probabiliter ab utroque extremitate sustentata.

XIII. Materia, ut sustentans Formam & Unionem, & Forma ut sustentans Unionem,
est Causa propriæ dictæ; sed materialis. Essentia huius in eo consistit, quod formaliter
immutetur a suo influxu respiciente illam secundum formalem rationem dependen-
tia a subjecto, quam is dicit. Forma, ut expulsiva formarum & subiecto in quod re-
cens introducitur, est Causa saltem Moralis. Incompossibilitas unius formæ cum alia
in eodem subjecto informationis oritur ex ipsa illius natura, ratione inexistentiæ
vel informatiæ, vel sustentatiæ. Causalitas expulsiva formæ ut informantis, est
non esse actionis conservatiæ unionis formæ cum subjecto.

XIV. Causa Efficientis est illa, bùxæ causat effectum per influxum, respicientem illam
præcisè secundum rationem productionis seu dependentiæ ab alio, abstracto ab
omni formalis mutatione sui. Duiditur in Prima, & Secundam: Prima est, a qua
omnes dependent effectus, cum ipsa a nulla alia dependeat. Infinita hæc immediatè
in operationes omnium Causarum secundarum. Determinatur ad speciem a Causis
Secundis contrà ad individuum effectus ipsa has determinat & Causas quidem libe-
ras antecedenter ad determinationem ad speciem, non item Necesariæ.

XV. Causa secunda est a qua dependet aliquis effectus, sic ut ipsa quoque pen-
deat ab alia Causa. Substantia habet vim producendi aliam substantiam; non item
Accidens, quod nec instrumentaliter ad illius productionem concurreat. Causa instru-
mentaliter est, quæ non habet naturalem proportionem ad producendum effectum, sed
ad hunc indiget elevari ab altiore Causa.

XVI. Finis est Causa tantum Moralis. Rationem Causandi Finis constituit sola
ipius bonitas, Honesta & Delectabilis; non item, Vrilib. Cognitio bonitatis est tan-
tum conditio applicans Cognoscendem ad operandum propter Finem. Finis Cuius ha-
bet propriam rationem Finis, etiæ minus principalem, quam Finis Cui. Effectus Finis,
sunt actus circa Media & Finem saltè ut obtinendū per hæc versantes; ipsa etiam Me-
dia, Finisque productus. Causalitas illius est a Etio Efficientis, ut dependens a Fine.
Exemplarne ipsum quidem est causa Physica. Consistit in conceptu objectivo; non
item, in Formali.

XVII. Generatio substantialis, est productio substantiæ dependens a subjecto ceu
Causa materiali. Terminus Formalis Generationis, & cuiusvis alterius actionis, est
ille, cui primariò & per se, convenit non ut subjecto, sed ut termino denominatio viæ,
cuius terminus inquiritur. Conversio, est Transitus unius rei in aliam. Cōversum de-
nominat Terminum a quo præcise iunctum, si sit Totalis, concretum vero tantum me-
diatè & secundariò. De Formali Conversione idem sensuendum. Terminus a quo Co-
versionis, debet designare quoad entitatem suam, Terminus vero ad quem huius non
producit, sed poni tantum sub entitate utrique communis. Id per quod ponitur sub en-
titate communis est Unio vel Informatiæ, vel Causalitatis, seu actio Conservatiæ en-
titatis communis a Termino ad quem procedens.

XVIII. Alteratio, est Motus ad qualitatem sensibilem, corruptivam, disponentem ad
Gene.

PHILOSOPHICÆ.

5

Generationem. Dispositiones ad introductionem Formæ substantialis in materia
sunt Quantitas & Qualitates. Illa disponit extendendo materiam & levando tanquam
subjectum qualitates dispositivæ. Hæc disponunt materiam, determinando Deum ad
introductionem formæ in hanc vel expellendo e subiecto qualitates contrarium ex-
gentes. ad conservandam formam in subiecto nullæ dantur qualitates dispositivæ.

XIX. Intensio fit per additionem gradus ad gradum. Potest, & de facto etiam fieri
censenda est in plerisque qualitatibus per gradus mere homogeneos. probabile ta-
men est, quasdam qualitates intendi per gradus dissimiles, & inæquales, similibus & æ-
qualibus permixtos; non tamen subordinatos.

XX. Resistentia qualitatum est repugnantia per quam una impedit aliam ab agen-
do. Dividitur in Remotam & Immediatam. Remota, est actio, qua passum debilitat
vires qualitatis contraria, quo minus ipsi nocere possit. Immediata, est repugnantia,
qua qualitas citra actionem se ipsa retardat actionem qualitatis contraria. Hæc est du-
plex, alia Activa, Formalis alia. Illa est, qua una qualitas impedit alteram eidem passo
una secum admotam, quo minus in hoc agat. præstat hoc utraque per exigentiam,
qua qualibet petita Deo, ut secum concurrit, non item cum altera. Hæc, seu For-
malis est, qua qualitas unita subjecto impedit aliam, quo minus illa in hoc agat. Cō-
sistit autem hæc in informatione formæ incompossibilis cum ea qua producenda est
& exigentia eiusdem ad huius conseruationem ac non-productionem formæ incompos-
ibilis. Qualitas excedens alteram in activitate, excedit eandem etiam in resistentia for-
malis. Datur Reactio inter qualitates contrarias.

XXI. Nulla qualitas potest intendere se ipsam, nec subjectum simile quoad in-
tensionem. Nullum agens naturale secundum se totum potest agere in distans absq;
actione in medium: pars tamen illius potest agere, sic ut nihil agat in medium. Po-
test, per absolutum Dei potentiam, Agens naturale agere in distans absque eo quod
agat in medium. Possibilis est creatura cui sic connatur agere in distans. Sphæra
activitatis agentium Naturalium provenit a natura ipsorum finitam ac limitatam
agendi vim fortitatem.

XXII. Tametsi non implicet Corpus simplex, idque etiam vivens virâ tam Sen-
sitive quam Vegetativa; vel non Vivens, Corruptibile, vel non corruptibile, Cœlum
tamen de facto tale non est, sed constat ex Forma & Materia & quidem sublunari.
Est ab intrinseco incorruptibile. Cum liquiditate Cœliorum omnes novæ obserua-
tiones & hypotheses rite considunt; non item, cum soliditate, quam tamen probabilis
est dari, saltem in Firmamento. Cœli tantum dispositio influunt in Generationem
terrum sublunarium. Moventur ab Angelis; quamvis non sit improbabile, moveri
eosdem ab intrinseco. Elementa non sunt actu in mixtis.

XXIII. Anima, est actus constitutivus compositi substantialis potentis elicere o-
perationes vitales. Probabilis est, nō omnes animas ciuidem speciei, esse quoad sub-
stantialiam similes, & quoad perfectionem æquales inter se, ratione prædicati cuiusdā
substantialis, medij inter specificum & individuale. Possunt duas animæ totales spe-
cie disjunctæ æquales esse in perfectione. Nullæ dantur in viuentibus Formæ substan-
tiales Partiales, Formæ substantiali Totali subordinatae.

XXIV. Vita in actu II. est operatio per se & ex essentia sua immanens, vel in eodem
indivisiibili principio, vel in comparatione istius, cum quæ totum substantialie constituit, si-
qui

quidem principium habeat. Vita in actu. est principium movendi se ipsum ad operationem hic descriptam. Anima, immediate effectivè influit in operationes vitales. Omnes partes animæ materialis divisibilis, influant in quamlibet operationem vitalem. Actus vitales, non tantum spirituales, sed etiam materiales recipiuntur & sustentantur ab anima rationali. Potentia, non distinguuntur realiter ab anima. Nulla animalium successio sit in fœtu.

XXV. In nullo sensuum extenorū, præterquam in visu, dantur species, possunt ea videri ut quod, si aptè terminantur. Nullus sensus cognoscit formaliter distinctionem, sed arguitur tantum. Supernaturaliter potest sensus exterior cognoscere objectum absens, aut omnino non existens. Sensus interior operatur in medulla cerebri. Objectum illius ad æquatum, sunt objecta sensuum extenorū omnium, exteriora sensationes, & internæ. Sensus interior non cognoscit negationes, nec amicitiam vel inimicitiam, nec proportionem mediortum cum fine. Apperitus sensitus in perfectis animalibus in cerebro, in imperfectis quibusdam, operatur in toto corpore.

XXVI. Intellectus humanus operatur tantum in loco cerebri. Objectum illius, est omne ens ac non-ens, etiam ens rationis. Actus intellectus (idem de quolibet alio actu vitali intentionali judicium esto) est modus, seu qualitas, non identice tantum, sed formaliter dicens, actionem sui productivam. Actus Memoriae non tantum debet esse de cognitione, sed etiam de cognitione eiusdem præterita, ut tali. Ad hanc iusque objecti, intellectionem (per proportionem sensationis internæ est ratio) probabilitate nullæ dantur species spirituales, dantur haec tamen ad actus primò posteriores. Animæ, una cum objecto materiali producit species spirituales, dependenter a cognitione illius præhabita. Intellectio, non sui tantum, sed probabilitate etiam objecti sui speciem producit saltem partialiter, & in absentia illius, species, in representando, sunt divisibilis, tam extensive quam intensive, tam materiales quam spirituales. Potest intellectus cognoscere simul plura ut plura. Datur intellectu reflexa in seipsa saltem confusa.

XXVII. Voluntas est in operando dependens ab intellectione, seu conditione ac lumine illustrante ipsius cœcitatem. Objectum ipsius formale, est omne Bonum, & Mala, huic oppositum, non potest amare malum, ut malum. Actus voluntatis eliciti alii sunt concupiscentiales, alii irascibles, illi versantur circa bonum absolute sumum, & malum huic oppositum; illi versantur circa bonum arduum, seu consecutum difficile, & circa malum, cuius propulsio sit operosa.

EX METAPHYSICA.

XXIX. Metaphysica est Scientia mere Speculativa & vera Sapientia. Subjectum illius, est Ens præcimum a Materiali & Spirituali, atque etiam ad Spirituale contractum. Objectum Attributionis eiusdem, est Deus. Ens est id, quod non repugnat existere. Dividitur in Materiale & spirituale. Materiale est, quod radicaliter, vel formaliter est impenetrabile, cum alio eiusdem rationis, aut, a tali ex se intrinsecè, mediately, vel immediate dependet. Spirituale est, quod nec cum alio eiusdem rationis per se radicaliter, aut formaliter impenetrabile est, neque a tali ex se intrinsecè, mediately vel immediate dependet. Dividitur, in Modale & Reale. Modale est entitas per essentia suam unita. Ens Reale vel absolutum, est entitas non per essentiam suam unita.

XXX. Ens in potentia ante productionem suam, nullum habet esse actuale. Posibiliter

sibilitas rei cuiusque, saltem creatæ, est denominatio, partim intrinseca, partim extrinseca. Intrinseca, quatenus prædicata illius, si existerent, non repugnarent inter se. Extrinseca, quatenus Deus illam potest producere. Existencia, est ab essentia realiter indistincta; distinguiri tamen ab hac potest ratione, quatenus scilicet ab intellectu præscindi potest non quidem ex parte objecti, sed ex parte actus tantum. Præcisio obiectiva, in creatis quidem rebus, implicat. Quod de Existencia, ab Essentia distinctione dictum, idem est sentiendum de distinctione omnium graduum Metaphysicae. Fundamentum distinctionis realis est, vel separabilitas, vel oppositio Relativa. Distinctio Realis alia est absolute, alia Relativa, posterior hæc requirit existentiam distinctorum; non item prior illa, quæ absolute, per ipsam rei cœtu, entitatem propriam.

XXX. Attributa Entis sunt Vnu, Verum, Bonu, realiter ab ipso indistincta, non ita ratione, quatenus scilicet aperte, sunt terminare diversos actus intellectus. Vnum dicit essentialiter indivisionem Entis in se, & a se, quæ nihil est negativum, nisi secundum modum explicandi. Compositum accidentale non minus est propriæ Vnum per se, quam substantiale. Verum Transcendentale, est Apertudo Entis ad terminandam cognitionem veram. Bonum Transcendentale, est Dignitas amoris in quolibet Ente reperta.

XXXI. Primum inter Prædicamenta locum obtinet substantia. Est hæc, Ens non intentum primariò propter aliud adæquate ab ipso distinctum. Contra Accidens, est Ens primariò intentum propter aliud adæquate a se distinctum in se perficiendum, & Adeo Ens. Subsistentia distinguuntur realiter a natura humana & probabilitate etiam Angelica, non tamen Divina. Subsistentia aliarum naturarum, animalium & inanimatarum, distinguuntur ab his & ipse realiter Effectus formalis subsistentia, est ultimum completere naturam per modum termini, seu, esse proprium substantiae fulcrum & sustentaculum. Subsistentiam esse modum & nos rem, suader Auctoritas. Etsi probabile sic dari Partiales subsistentias in compósito, non est tamen minus probabile, dari eandem unam Totalem, quæ continet omnes partes illius.

XXXII. Quantitas est Ens per se impenetrabile cum alio eiusdem rationis cum ipso & cum quacunque alia entitate, similem impenetrabilitatem habente cum alia eiusdem rationis cum ista. Impenetrabilitas Quantitatis est quid positivum, consistens in exigentia & positivo jure occupandi locum aliquem cum exclusione alterius. Est accidens absolute realiter a subjecto suo distinctum. Penetratio Corporum potest fieri supernaturaliter. Scientia componens Continuum ex meritis indivisibilibus finitis, virtualiter tamen exteris & adeo divisibile spatiū occupantibus, per præsentiam. Definitivam, idem indivisibilem est una omnium ad Continui difficultates expediendas, apicissima secundum quæ sententiam dici potest, extrema Continui uniti inter se per unionem indivisibilem, realiter ab his distinctam.

XXXIII. Qualitas sic, commode videtur definiiri. Est Accidens, quod secundum rationem superiorem Prædicamenti, tantum sequitur actualitatem perfectam Divisionem. Qualitatis assignari potest hæc. In I. specie constituantur qualitates ordinatae ad operandum supponentes potentiam. In II. specie ponantur qualitates primò ordinatae ad operandum, non supponentes potentiam. In III. specie constituantur qualitates non per se primò ordinatae ad operandum.

XXXIV. Relatio prædicamentalis est ea, quæ non est adæquate identificata Subiecto, atque ideo sèpè potest separari a Fundamento & Termino. Consistit in Fundamento

mento, Termino, & ratione fundandi ut coëxistentibus, simul summis. Regula ex qua colligatur Terminum esse partem Relationis, est haec: Illud est pars Relationis (& alterius item cuiuslibet denominationis aut Totius) quod deinceps, ceteris licet omnibus manentibus, non manet tamen Relatio, Denominatio, vel Forum. In Relatione, vel qualibet alio Concreto illud importatur in Resto, quod immediate per Copulam propositionis nestitur cum subjecto, in Obliquo vero quod mediate tantum.

XXXV. Respectus Transcendentialis est ille, qui ita est de essentia subjecti ut huic adæquate identificetur, neque hoc sine illo esse aut intelligi perficie posse. Competit hic respectus Materie ad Formas, & vicissim Formis ad Materiam. Potentia ad Actus: Actibus ad objecta, Causis ad effectus, Effectibus ad illas causas, quibus implicantibus & ipsi implicarent, Modis item ad sua Modificata. Tamei si possibiliter Causæ creatæ probabiliter habeat connexionem cum possibiliitate effectus, probabilius tamen est Causam Increatam hanc non habere. Respectus Transc. fertur ad Terminos suos in particulari, quos nihil necesse est, esse quid possibile.

XXXVI. Actio & Passio realiter inter se sunt indistinctæ, & adeò una Modalis entitas, distinguantur realiter principio suo. Creatura, quæ non posset nisi solo Deo, & creativè procedere, deberet tamen habere actionem a se realiter distinctam. Creatio est productio rei ex nihilo, nec adæquate nec inadæquate identificata cum principio vel termino. Motus dicit in conceptu suo adæquatio, negationem, actionem, productivam, & unionem formæ cum subjecto quod mutat.

XXXVII. Ubicatio est forma principaliter Constituens subjectū suum in spacio. Entitates realiter distinctæ inter se tam unitæ constituantur in spacio per ubicationes realiter distinctas. Spacium, sunt ipse ubicationes possibles magis magisque in infinitū distantes ab alijs Ubicationibus. Implicat spatium indivisibile. Locus præter superficiem Corporis ambientis, dicit ordinem ad certas partes fixas aut spatium. Figura præter Ubicationes partium, dicit insuper negationem earum quæ redundant. Extensio localis est indistincta ab Vbi Circumscripтивo. Situs igitur quoque dicit Ubicationes partium & præter has, certam illarum distantiam inter se, cum ordine ad certas partes seu plagas Mundi:

XXIX. Duratio distinguitur realiter à re durante, non ita ab actione cuiuslibet rei primò vel secundò - productiva, atque adeò omnis actio est essentialiter finis ac successiva. Tempus, est mensura durationum atque actionum nostrarum, sicutas metimur per illam, quatenus habet partes priores ac posteriores sibi continentur succedentes. Componitur ex meritis instantibus. Dividitur Tempus in Reale & Imaginarium. Illud est, quod modò hic descriptum. Hoc, est possibilitas Durationum alias atque alias relationem distinctas inter se fundantium. Habere, est denominatio partim intrinsecas,

partim extrinsecas, intrinsecas, quatenus dicit ubicationem intrinsecam

Habentis, extrinsecas, quatenus dicit Ubicationem habiti.

Cum Facultate Superiorum.

